Publié sur *La Vie des Classiques* (**https://96.ip-213-32-20.eu**)

LES BUCOLIQUES

22 Décembre 2015

Réflexions sur les résultats des élections régionales. Qu'il y a aujourd'hui, en France et dans le monde, une question agraire. Hommage à Tiberius Gracchus; espoirs pour 2016. Chronique en latin et en français.

Bucolica

Lunae die 21° mensis Decembris anno 2015

Die solis 13° hujus mensis, extremis partibus e comitiis regionum gerundarum repulsis, Galli suam indolem cautam ancipitemque ostenderunt, cujus Alfredus Vinius, in *Diario poetae cuiuspiam*, mentionem fecit:

«Librum facere possim qui *Historia plerorumque nemini faventium ac dubitantium* inscribatur, in quo describam quemadmodum major pars nostratium civium, animo gravi et sano et industrio praedita, omnibus tempestatibus nationem Gallicam servaverit et ad progressum duxerit. Tales homines neque ulli viro neque ullae formae reipublicae studeant nimium, sed justitiae rectoque. Quorum animus e prudentia maxime constat. Ipsi Napoleonem ejusque exercitum in campis Waterloensibus reliquerunt. »

Utcumque reipublicae nostrae in futurum cadat, diurnarii interpretesque rerum quae nunc aguntur, spiritum, ut ita dicam, iterum hauserunt, quasi intercapedine suis angoribus data ne apud nos partes extremae dextrae umquam rerum potiantur.

Sunt tament qui putent, et ex iis etiam nonnulli magistratus nuperrime electi, operam esse dandam sedulam ne in idem periculum rursus incurramus, sesquianno post. Profecto hisce temporibus quidem civibus tuendis satis superque providetur, cum numquam antea, hac memoria quidem, tot milites in viis urbium nostrarum dies noctesque excubuerint. Hoccine satis erit ut cives de suis magistratibus bene sperent, cum numerus eorum qui ab opere vacant in menses continenter augeatur? Neque solum de negotii quaestusque expertibus agitur, sed etiam de hominibus qui, quamvis habeant operam ex quo victum quaerant, ejusque copiae cotidianis sumptibus non suppetunt. Ne fata recentiora animos nostros non ita occaecent ut agricolarum obliviscamur qui, media aestate praeterita, vilitate pretiorum laborantes, hic et illic magnas vias vehiculis tractoriis intercluserunt, in areas maximarum tabernarum alimentariarum stercus fimumque exoneraverunt, ne pretia carnum pergerent minui neve Foedus Liberae Mercaturae inter nationes utriusque litoris Atlantici feriretur; quo foedere icto, ipsi vehementer timebant ne diutius non superfuturi essent tot carnibus tamque vili pretio ex America in Europam defluentibus. Quos agricolas nonulli diurnarii nuper admonuerunt abhinc annum et alterum partibus extremis dextris calculum adjicere

crebriores coepisse, quamvis antea partes dextras tralaticias maluissent.

Hic autem opportune, si licet, ad Romanos reveniemus parumper. Secundo saeculo enim ante Christum natum, Italia in graviore sane discrimine versabatur quam nos, cum, postquam Romani e bellis punicis victores evaserunt, agrum publicum potentiores ditioresque occupavissent. Tum Tiberius Gracchus, vir summi ingenii, e Graecis philosophis profectus, ceterum eloquentissimus, postquam tribunus plebis creatus est, legem Semproniam scripsit ad agrum publicum aequius divendendum terrasque humilioribus tribuendas, hoc animo, si ejus mirabili eloquentiae apud Plutarchum credendum est, ut concordia civium una cum studio patriae redintegraretur, siquidem ii qui paulo ante acrius nomen Romanum prioribus bellis defendissent, tum inopia agrorum laborantes, vitam in egestate degerent:

Τά μὲν θηρία τὰ τὴν Ἰταλίαν νεμόμενα καὶ φωλεὸν ἔχει καὶ κοιταῖόν ἐστιν αὐτῷ ἑκάστῳ καὶ καταδύσεις, τοῖς δὲ ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας μαχόμενοις καὶ ἀποθνῄσκουσιν ἀέρος καὶ φωτός, ἄλλου δὲ οὐδενὸς μέτεστιν, ἀλλ' ἄοικοι καὶ ἀνίδρυτοι μετὰ τέκνων καὶ γυναικῶν· οἱ δὲ αὐτοκράτορες ψεύδονται τοὺς στρατιώτας ἐν ταῖς μάχαις παρακαλοῦντες ὑπὲρ τάφων καὶ ἱερῶν ἀμύνεσθαι τοὺς πολεμίους· οὐδενὶ γάρ ἐστιν οὐ βωμὸς πατρῷος, οὐκ ἠρίον προγονικὸν τῶν τοσούτων Ῥωμαίων, ἀλλ' ὑπὲρ ἀλλοτρίας τρυφῆς καὶ πλούτου πολεμοῦσι καὶ ἀποθνῄσκουσι, κύριοι τῆς οἰκουμένης εἶναι λεγόμενοι, μίαν δὲ βῶλον οὐκ ἔχοντες. (*Vita Tiberii Gracchi*, 9, 5-6.)

(«Singulae ferae quidem quae in Italia victitant antrum, latebras, perfugium suum habent; iis vero qui pro Italia pugnant et moriuntur nihil habent nisi aerem et lucem, domo expertes, cum uxore liberisque errabundi. Imperatores autem mentiuntur sane quotiens milites suos in pugnis hortantur ut sepulchra et templa ab hostibus defendant, nam tales Romani neque Lares neque tumulum patrium habent; quin etiam pro luxuria divitiisque alienis pugnant atque moriuntur, qui totius orbis domini appellantur, cum ne glebam quidem habeant. »)

Ut ad rem nostram redeamus, certe ea longissime abest a tempore Gracchorum. Nunc autem agri quingentorum jugerorum, quae Tiberius Gracchus statuerat esse maxima pro uno possessore (et etiam locupleti), interdum non sufficiant ad parce et duriter vivendum, quoniam in Gallia non raro fit ut agricolae sibi mortem consciscant propter difficultates nummarias, cum fundum nonnumquam etiam majorem possederint coluerintque.

Si igitur Marcello Mazoyer credamus, hujus rei scriptori peritissimo, in *Historia agri culturarum totius orbis*, anni millesimi nongentesimi nonagesimi septimi, discrimen quod nunc est solvi non potest nisi agri cultura reformanda, sed in modum prorsus diversum ab Foedere Liberae Mercaturae inter nationes utriusque litoris Atlantici quod praeparatur in annum novum bismillesimum decimum sextum. Ille enim non est auctor ut liberum sit quam vilissimo pretio et gignere et divendere fruges fructusque, idque profecto in perniciem agricolarum, sed ut, regionibus totius orbis descriptis prout quaeque eodem statu copiarum fruatur, frugum fructuumque reliquorum pretia certa constituantur, quibus bonum victum agricolae uniuscuiusque regionis quaerant. Itaque, in uberioribus terris, non sit necesse fundos plus aequo augere; item facultas detur potius bonitati fructuum quam copiae consulere. Apud humiliores autem, plebs rustica tandem aliquando rebus suis jam non ita desperabit ut agros suos relinquere cogatur:

Nos patriae fines et dulcia linquimus arva;

nos patriam fugimus...

ad fortunam incertissimam in tuguriis maximarum urbium temptandam, non minus sane

formidandam quam quod sibi timuit ille Meliboeus Vergilianus:

At nos hinc alii sitientes ibimus Afros,

pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxen,

et penitus toto divisos orbe Britannos,

cum, interea, ii agri paucis feneratoribus relinquantur qui nihil antiquius habeant quam ut sibi quaestus magnos et uberes constituant. Attamen pretiis ita servatis, Meliboeus rursus Tityrus fiet:

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt

et tibi magna satis...

In omnibus regionibus autem, et quae laute vivunt et quibus sunt copiae minores, potestas operae dandae crebrioribus hominibus offeretur. Praeterea fruges fructusque agri culturae in loco ipso ubi gignentur plerumque consumentur. Ita efficietur ut in orbe non solum pauciores homines fame crucientur, sed etiam terrae minus inquinentur.

O manes Tiberii Gracchi!... Utinam magistratus qui apud nos gubernacula rei publicae tractant, una cum ceteris ubique gentium, se sinant inflari spiritu tuo! Nos autem, quid voti in annum novum simus ominaturi, jam habemus compertum.

Lundi 21 décembre 2015.

Le dimanche 13 de ce mois, les Français, en rejetant l'extrême-droite au second tour des régionales, ont montré cette prudence doublée de scepticisme qui les caractérise majoritairement et qui est évoquée par Alfred de Vigny dans le *Journal d'un poète*:

« Je pourrais faire un livre intitulé : *Histoire de la majorité neutre et sceptique.* L'idée-maire serait que c'est une majorité grave, saine, laborieuse, qui, en tout temps, a sauvé la nation et l'a poussée au progrès. Elle ne se passionne pour aucun homme, pour aucune forme de gouvernement, mais pour les idées justes. Le *bon sens* est, pour ainsi dire, son âme. C'est elle qui abandonna Bonaparte et l'armée à Waterloo. »

Quoiqu' il advienne, dans l'avenir, de notre chère République, journalistes et commentateurs de l'actualité ont pu pousser un grand soupir de soulagement. Pour un temps, l'angoisse à la perspective que l'extrême-droite s'empare un jour du pouvoir a été apaisée. Néanmoins, et même parmi ceux qui ont été élus dimanche, certains pensent qu'il va falloir se mettre ardemment au travail si l'on ne veut pas s'exposer au même péril d'ici un an et demi. Assurément, des mesures énergiques ont déjà été prises, ces derniers temps, pour protéger les citoyens. À preuve, tous ces soldats qui patrouillent jours et nuits dans les rues de nos villes : la génération présente n'en a sans doute jamais vus autant. Mais cela suffira-t-il pour que les Français gardent leur confiance dans l'élite dirigeante, quand le chômage ne cesse d'augmenter au fil des mois ? Du reste, le problème n'est pas seulement le chiffre des chômeurs ; c'est aussi celui de ceux qui travaillent pourtant, mais n'ont pas de quoi assurer les dépenses quotidiennes de l'existence. Puissions-nous, obnubilés par la catastrophe de novembre, ne pas avoir oublié nos agriculteurs qui, au milieu de l'été dernier, bloquaient les autoroutes avec leurs tracteurs, deversaient fumier et purin sur les esplanades des supermarchés, pour protester contre la dimunition incessante du prix de la viande et contrecarrer les négociations du traité de libre-échange transatlantique, lequel,

s'il devait aboutir, ferait affluer sur le marché européen des viandes américaines à bon marché, ce à quoi les intéressés, pour beaucoup, risqueraient de ne pas survivre. Eux qui soutenaient naguère la droite traditionnelle, voilà, assure-t-on, qu'ils sont de plus en plus nombreux à favoriser l'extrême-droite de leur vote.

Il n'est peut-être pas déplacé ici de revenir un instant aux Romains. Au second siècle avant J.-C., quand Rome eut définitivement vaincu Carthage, l'Italie connut une crise sûrement plus grave que celle que nous vivons, en raison de l'accaparement des domaines publics par les puissants et les riches. C'est alors que le tribun de la plèbe Tiberius Gracchus, esprit éminent nourri aux sources grecques de la philosophie, grand orateur de surcroît, promulgua une loi visant à distribuer plus équitablement les terres de l'État pour que les plus humbles eussent leur part. Dans son esprit, s'il faut en croire le beau morceau d'éloquence rapporté par Plutarque, il ne s'agissait de rien de moins que de restaurer la cohésion sociale tout en stimulant le patriotisme, puisque ceux-là même qui, dans les guerres précédentes, avaient le plus vaillamment combattu pour Rome, se trouvaient réduits à l'indigence du fait de la pénurie des terres :

« Même les bêtes sauvages qui vivent en Italie ont chacune au moins une tanière, un gîte, un refuge ; mais ceux qui se battent et meurent pour l'Italie n'ont rien d'autre en partage que l'air qu'on respire et la lumière qui éclaire ; sans feu ni lieu, ils errent à l'aventure avec leurs enfants et leurs femmes. Quand les généraux, à la veille des batailles, exhortent leurs soldats à repousser l'ennemi soi-disant pour défendre tombeaux et sanctuaires, ils leurs mentent ! Car pas un d'entre eux, parmi tous ces Romains, n'a ses Lares à lui, son tombeau de famille ; ils font la guerre et et y trouvent la mort, uniquement pour que d'autres nagent dans le luxe et l'opulence. Et on les appelle les maîtres du monde, eux qui ne possèdent même pas fût-ce une motte de terre ! » (*Vie de Tibérius Gracchus*, 9, 5.)

Les problèmes qui se posent actuellement aux paysans sont, à la vérité, passablement éloignés de ceux que les Gracques avaient à résoudre. Tibérius Gracchus avait fixé à moins de cent cinquante hectares le maximum qu'un concessionnaire de terrain public pût recevoir, et celui-ci pouvait alors être regardé comme un nanti. Une telle étendue ne suffit pas toujours aujourd'hui pour gagner durement sa vie, puisque les suicides d'agriculteurs sont chose fréquente en France, cependant que les exploitations sont souvent de taille bien supérieure à cent cinquante hectares.

S'il faut en croire Marcel Mazoyer, le grand spécialiste de cette question, dont l'*Histoire des agricultures mondiales* de 1997 fait autorité, la crise actuelle ne saurait trouver sa solution que dans une ambitieuse réforme agraire, mais en s'y prenant tout au rebours du traité de libre-échange transatlantique dont la ratification est prévue pour la nouvelle année 2016. En effet, selon cet auteur, la liberté de circuler pour les denrées agricoles n'aboutit qu'au cassage des prix, cause de ruine assurée pour la paysannerie indépendante. Il s'agit donc de regrouper les pays de même niveau économique dans des zones protégées où les cours seraient fixés à la hausse en fonction des capacités du marché, et d'assurer, par ce moyen, un revenu convenable aux agriculteurs. Ainsi, dans les zones les plus riches, il ne serait plus nécessaire de faire la course aux centaines d'hectares d'exploitation ; c'est alors que l'on pourrait privilégier la qualité des produits plutôt que la quantité. Dans les zones plus pauvres, la petite paysannerie ne serait plus réduite aux abois et contrainte de quitter ses terres :

Nous autres, nous abandonnons le sol de la patrie et nos chers guérets ;

Oui, nous fuyons notre patrie…

pour aller courir une chance bien incertaine dans les bidonvilles des grandes cités, sort plus redoutable encore que celui dont la perspective épouvantait le virgilien Mélibée :

Mais nous, nous partirons d'ici, qui chez les Africains assoiffés,

Qui en Scythie, qui en Crète du côté de l'impétueux Oaxe,

D'autres jusque dans la Grande-Bretagne coupée du reste du monde…

Et pendant ce temps, leurs champs sont livrés aux spéculateurs qui ne soucient d'autre chose que d'en tirer le plus grand profit financier. Mais, avec des cours maintenus à la hausse, Mélibée et Tityre ne feront plus qu'un :

Heureux vieillard, tes champs te resteront donc,

Et bien assez grands pour toi…

Et partout, dans les régions privilégiées comme dans les plus modestes, maint emplois seront maintenus et créés ; les produits de la terre seront le plus souvent consommés dans les lieux mêmes où ils auront été cultivés ; il s'ensuivra que les hommes seront moins nombreux dans le monde à souffrir de la faim, et que l'agriculture polluera moins les sols.

Ô mânes de Tibérius Gracchus !... Si seulement nos gouvernants, ceux d'ici et d'ailleurs dans le monde, pouvaient recevoir le souffle de ton inspiration ! Pour ce qui nous concerne, nous savons déjà quel genre de voeux nous allons former pour la nouvelle année.

Fabrice Butlen

Tags :

élections régionales

extrême-droite française

agriculture

libre-échange

protectionnisme

traité de libre-échange transatlantique

TAFTA

TTIP

Virgile

Bucoliques